





DISPUTATIO SOLEMNIS MEDICA

fistens

1727, 1a

8

# EPILEPSIAE CONSEN SUALIS SINGULAREM SPECIEM,

Quam

*Gratiosa Facultatis Medica Jusu*

Sub PRAESIDIO

DN. ANDREAE OTTOMAR  
GOELICKE,

Med. D. & Prof. Publ. Ord. h. t. Facultatis suæ Decani  
& Circuli Lebusiensis Physici Ordinarii,

*Fautoris ac Promotoris sui singulariter colendi,*

Pro GRADU DOCTORATUS

Reliquisque honoribus, Juribus atque Immunitatibus legitimi  
consequendis,

*Ad Diem XXIV. Julii An. M DCC XXVII. horis ante & pomeridianis*

Publicæ Disquisitioni exponet

AUCTOR

GEORG. FRIDER. PETERSON

Belgardia - Pomeranus,

Medicinæ Practicus.

FRANCOFURTI cis VIADRUM,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.



DISPUTATIO SOLEMNIS MIGRA

EPHEBIAE CONSE  
SAULI SINGULI ARHM  
SUGEN

Quodque quicunque Auctor fatus

sup PRAESIMO

DN VANDRHE OTOMAN  
A GERICKE

Moy D 27 Sept 1610 Qd p 1 Secundum m Dicitur

Secundum supponitur qd dicitur

Fundatur in Vnde dicitur Vnde dicitur

Replique post ipsius fundatur in Vnde dicitur

replique post ipsius fundatur in Vnde dicitur

XVII A.D. 1610. Secundum dicitur

Secundum dicitur

Auctor

GEORG

REICHLIN CANTATOR

Secundum dicitur



D E O  
P A T R I A E  
P A T R O N I S

A T Q V E

A M I C I S.



DEO  
PATRIAE  
PATRONIS  
AMICIS.

Above





## PROOEMIUM.



N numerum Medicinæ Practicorum ab Illustri Collegio Medicorum Berolinensium, jam triennio & quod excurrit, abhinc receptus, meorum nunc partium esse duxi, ut honores Doctorales decenter ambirem. Quoniam vero hoc meum institutum, absque prævio eoque publico profectum specimine, prout mos fert, rite persequiri non licet, placuit mihi B. Lectori Calum medicum sistere, eumque non vulgarem, sed plane mirandum, de quo, si Practicorum monumenta consulas, parum vel nihil invenies, quod vel ad morbum rite cognoscendum vel dijudicandum, multo vero minus eundem dextre curandum faciat. Quare operæ pretium duxi, ejus phænomena & symptomata quam accuratisime

A pri-

primum describere, deinde ejusdem curationem, ipso eventu comprobata, debite subnētere. Quod cœptum meum, ut Deus Ter optimus maximus ex alto clementer fortunet, Lector vero Benevolus æqui bonique consulat, est, quod humillimis & enixis precibus contendo.

## PROBLEMUM.

## CASUS.

**A**nno 1724. duodecimo februarii circa vesperam, ad virum quendam plurimum reverendum, Pastorem coetus sui meritisimum, vocatus, tres ejus liberos, filiam nimirum natu maximam tredecim annorum, temperamento sanguineam, & duos filios, unum natu majorem undecim, satis alacrem & sanguineum, alterum natu minorem, vix decem annorum subpallidum, melancholico temperamento præditum, singulari morbo graviter omnes afflictos inveni, in cuius primam originem rite inquirens, dum ex parente sciscitor, undenam ægrotantes morbum hunc contraxissent? Num pridem fuerint valetudinarii, præcedentem morbum alium pasci? Aut in cruda vixisent diaeta, aut aëris externis injuriis, ventis frigidioribus multum expositi, aut terrore inopinato aliquando perculsi fuerint? Aut quam aliam canque parens forte nosset morbi causam? responsi id tuli, liberos equidem non exactam adeo observasse diætam, sed saepius puerorum cæteroquin sanorum more, poma, pira, pruna immatura & cruda nuces-

nucesque avellanas in copia præterlapsò autumno co-  
medisse, aliisque infalubribus esculentis usos, mor-  
bo autem nulli, a prima ætate fuisse obnoxios, præ-  
terquam quod filii ante tres annos morbilis fuerint  
correpti; Filiam paucis abhiinc diebus dysuria, filios  
pertinaci alvi obstruktione laborasse, omnes vero &  
singulos ad terrorem maxime esse proclives, impri-  
mis filiam, magno nuper eximproviso terrore affe-  
ctam. In quo ipso morbi scrutinio, dum cum parente  
adhuc versor, extemplo, modo filia, modo filius natu  
major, quadam *quasi* animi deliqui specie concidunt,  
ex quo excitatos per spirituosa alloquor, ut præsen-  
tem, in quo nunc escent, statum mihi met ipsi aperi-  
rent. Respondet filia, se sentire crebrum & vehe-  
mentem ad mingendum stimulum, sed cum dysuria  
conjunctū; præterea, quid sibi accideret, se ignorare,  
donec penitus ad se rediret: porro interroganti,  
an alias nunquam similem affectum passa eset? an  
frequentius per diem tam intra, quam extra lectum  
eodem corriperetur?

Regerit: Cado quidem interdum sine stimulo  
mingendi & dysuria, attamen sæpisime cum his  
symptomatibus, idque adeo frequenter, ut ipsamet  
id exprimere satis nequeam, sæpius correpta hoc ma-  
lo, tam intra quam extra lectum, quounque fuerim  
in statu. Post hæc desuper interrogata, num quic-  
quam mali præsentiret, antequam procideret?  
num placide & sine insomniis dormiat, alvus an  
laxa vel adstricta sit? respondet, se subinde levis  
alterationis sensum habere, & quidem alternantis  
horroris & caloris cum capitis dolore, sine tamen si-  
ti, sæpiusque nausea corripi, se satis placide interdum

A 2  
dor-

dormire, alvumque rite officio fungi. Quæ omnia  
 distincte referens, illico aliquoties cum fratre  
 natu majore procidit, hoc confirmante si-  
 mul eadem in se omnia experiri, quæ foror enarras-  
 set, nihilque de se specialius nosse, quam quod ven-  
 tris torminibus præ forore sèpius vexetur, seque  
 una cum forore admodum meticulosum esse, & a re  
 etiam levissima facillime & graviter terreri. Ad filium  
 vero natum inorem lecto affixum conversus, eundemque,  
 quomodo valeret, interrogans, audio replican-  
 tem, se pertinaci alvi obstructione laborare cum cru-  
 ciatibus ventris, doloreque capitis periodico, sèpius  
 horrore corripi, succendentibus molestissimis oscita-  
 tionibus, admodum lassum se esse omnesque cibos  
 aversari. Hisce omnibus, ex ore ægrotantium de  
 genio morbi probe intellectis, parentem denuo solli-  
 cito, ut qualecumque de morbi initio & progressu  
 notitiam habeat, fideliter exponat. Refert autem,  
 pleraque a liberis allata vera esse, &c, ut sibi quidem  
 videretur, tale morbi fuisse initium: Nimirum die  
 vigesimo & sequentibus mensis januarii, anni supra  
 dicti, filiam primum dysuria affici, filios vero ineunte  
 februario, alvo pertinaciter obstrui cepisse, cum  
 dolore abdominis; Undecimo februarii, filiam ob las-  
 itudinem ad lectum se contulisse, in quo vix per se-  
 mi horam quiescens, subito ob dysuriam simulque  
 conjunctum tenesnum expurgiscebatur, alvoque de-  
 posita, illud quasi animi deliquium patiebatur, ex quo  
 clamoribus miraque corporis agitatione excitata, at-  
 que ad lectum vix deducta denuo incidebat in eundem  
 affectum, redeuntque hæc symptomata innumeris  
 sere vicibus & adhuc continuant. Duo autem filii,

in

in eodem cum filia hypocausto commorantes, & ple-  
raque, quæ forori accidebant, videntes, non leviter  
animo movebantur, circa vesperam cubitum euntes,  
natu major tamen brevi e lecto surgens, chartamque  
quam manibus tenebat, in frusta discerpens, ex im-  
proviso, sicut foror, animo quasi linquitur, excitatus  
tamen per totam noctem satis placide dormie-  
bat. Altero die, & filia, & filius natu major, vehemen-  
ter mi&gt;curientes, s&gt;pius sub ipso excernendi conatu,  
pr&gt;dictu in affectum incidenti idq; adhuc durat: Filio  
interea natu minori in eodem statu, ac fuit sub ini-  
tium morbi, perseverante. Quibus omnibus a pa-  
rente de liberorum suorum morbis acceptis, riteque  
mecum pensatis, pr&gt;sens liberorum infortunium  
doleo, ac prognostico parentem solari studeo, ratus  
morbum non acutum, sed diuturnum, nec statim fu-  
nestum fore, id quod ex impuris corporibus, urina  
cruda & tenui aliquaque, quæ Hippocrates de morbis  
convulsivis observavit, facile colligebam, prodro-  
mumque subsequentis epilepsia, quam ipsam, uti e-  
ventus docuit, morbus hic habebat pedissequam, va-  
ticinabar. Quo vero, quam miseri efflagitabant, o-  
pem aliquam ferrem, vi&gt;ctum statim tenuem, interq;  
remedia, incidentia ac digestiva ad duos dies ordi-  
nabam, quibus elapsis, ad patientes meos reversus,  
in eodem fere, imo non nihil pejori statu omnes in-  
veniebam. Maxime filia desuper patiebatur ingen-  
tes spinæ dorsi dolores, ut & in imo ventre & pede  
dextro, adeo ut per multos dies nec stare, nec ince-  
dere posset, plurimisque symptomatibus fiebat ob-  
noxia; Pectus enim noviter procidentis vehe-  
menter & in solite movebatur, cor palpitabat for-  
titer,

titer, dumque ad se rediisse videbatur, modo aphona, modo surda apparebat, quamvis nonunquam clamaret: *Loquimini mecum.* Hæc symptomata per 14. dies circiter durabant, donec successive remitterent, morbus decresceret, & circa finem mensis martii fere in integrum restituta esset. Eadem prorsus symptomata, exceptis spinæ dorsi & ventris doloribus, in filio natu majori iidem occurribant, sed his multo vehementiora supervenientia alia; præterquam enim, quod hic difficulter excitaretur, corpore inordinate saliebat, iterumque in terram relabebatur, capiti insistebat mira agilitate, cum stertore horrendo ejulato mixto, manuum miras gesticulationes formabat, di&tū fere incredibiles, quæ visu horrenda symptomata propemodum sine remissione quatuor dies durabant, quo tempore tanto pollebat corporis robore, ut a nullo quocunque robusto viro coerceri potuerit, modo auditu, modo loquela videbatur privatus; Morbo autem leviter remittente, quasi finito paroxysmo, pro cidens in terram, naso leviter tractus, e vestigio ad se redibat, omnium ante paroxysmum actorum conscius, viribus non fractus sed vegetus, & ad continuandas ante paroxysmum inceptas actiones aptus. His omnibus succedebant alia adhuc symptomata, ut vel stans, vel sedens, toto corpore adeo rigeret, ut Idolum repræsentaret, perfecto tetano laborans, exporrectis brachiis, omnibus digitis, clausis palpebris, torvo vultu, quo in statu sursum vel deorsum motus, nihil sentiebat, sed immutabilis per quadrantem horæ in eodem statu manebat, tandemque resupinatus cumque capite ad calces flexus, brachia pendula habebat; quibus symptomatibus finitis

nitis, integris octo diebus prius enarrata symptomata cum per frequenti lapsu continuabant. Res autem filii minoris, uti per se satis afflictæ, ita in dies, in pejorem ruebant statum, quum prædicta semper symptomata non tantum invalescerent, sed graviora his etiam supervenirent: Nam præter illa, exquisitos testiculi dextri, imo & penis dolores patiebatur, sine ulla extus conspicua partium harum inflammatione, sine ullo tumore, adeo ut pedes etiam in lecto moveri vix possent, sed ob vehementiam dolorum fœpissime misere clamaret, dysuria de super affectus. Tribus autem diebus præterlapsis, dicti dolores quidem remittebant, sed crebri lapsus, sicuti in prioribus, eodem prorsus tenore continuabant; quin nova etiam his succedebant symptomata: scilicet prostratus in terram, more epilepticorum, pollices manuum contrahebat, dentibus stridebat, cum miris manuum gesticulationibus, pedum vehementibus calcitracionibus, corpus varie jaetirabat, viribus adeo validus, ut vix a duobus viris robustis coerceretur, ejulabat subinde enormiter, quæ omnia uno eodemque die quam fœpissime accidebant, & quidem per integros duos menses, donec pleraque symptomata sponte cessarent, exceptis vagis deliquis, equibus ad se rediens, vel excitatus, aequa fanus, ac si pridem nihil mali passus, videbatur, quasvis actiones ante paroxismum institutas, expedite peragens. Sicque fratres ambo in simili fere statu constituti erant, filia autem sic satis convaluerat. Circa subitum ac sœpe inopinatum lapsum id potissimum observabam, fratribus altero affecto, alterumq; jacentem excitare tentante, eodem statim symptomate affectum esse:

Ita

Ita ut ambo conciderent, & nisi extemplo excitarentur, per longum satis temporis spatium oppressos ita jacuisse, nec tam facile ad se revocari potuisse, quam si id maturius & celerius factum fuerit. Dignissimum quoque notatu erat, sub oratione dominica, quoties orantem vel videbant, vel audiebant, vel ipsimet orabant, statim in illud quasi animi deliquiū incidisse, & quidem sub quavis orationis recitatione, plus vigesies, imo multoties, sub prandio, offam ori admoventes, vel eandem intra dentes manducantes, qualia utriusque communia eveniebant. Simulac autem excitabantur, comedebant ut fanisimi, recteq; & rationaliter cum aliis loquebantur. Postremo cestantibus etiam symptomatibus, mense Junii, neminem orantem videre, nec ipsi orare audebant. Accedit vero, ut circa hujus mensis fere finem, ambo filii, destinato mentis consilio, patrem alloquerentur, dicentes: D. Parens, nolumus ullis amplius uti remediis, sumus enim ceteroquin fani, nisi quod orare nequeamus. Interim jam absolute in animum induximus, nos oraturos, &, siquidem denuo linquamur, vel, ut vernacula sua id exprimebant, wann wir ja tod bleiben / fac saltem, ut subito excitemur. Regebit parens: Ergo in nomine Jesu orate. Ast quam primum unus orare incipit, illico concidit, excitatus oransque denuo cadit, postquam vix tria protulerat verba, quale quid alteri quoque filio accidebat. Hæc per literas ad me referenti consiliumque meum expertenti, parenti, consulo hortorque, ut bono tantum sit animo remque totam Deo & tempori committat, &, ne ad certum tempus orarent liberi, prohiberet, idq; insuper unice ad evitanda cum precibus conjuncta deliquia

liquia; observabam enim, pueros in ea imaginatione ac timore versari, ut, quoties orarent, toties necessario conciderent. Existimabat autem parens horum liberorum, cum multis aliis hominibus, forte quicquam supernaturale morbo subesse, vel plane ex fascino natum eundem, in quo meo quidem Judicio errabat, quoniam dato meo consilio obtemperans in progressu morbi quidem inopinatum, attamen non infelicem experiebatur eventum. Nam die festo Mariæ Magdalenæ, ambo filii, gaudio toti perfusi, ad parentes recurrentes, narrant, se jam orare fine periculo ullius lapsus, sequere etiam orantes alios audire posse, quia inter domesticos ejus rei innoxiae jam fecerint periculum. Incipiunt ergo coram parentibus orare, idque sine omni lapsus metu; Vegeti potius & in hunc usque diem, dum haec scripta, sani sunt.

RESOLUTIO.

**M**irabilis quidem explicatique difficilis est, quem hic ceu primum praxeos meæ specimen fisto, casus, qui quippe tot mirificis & sibi quodammodo contrariis symptomatis est stipatus, ut, nisi quis animum observationibus clinicis probe subactum deferat, ipso facto facile sit deprehensurus, quam arduum quamque intricatum adgrediatur negotium, verum morbi hujus genium, quo patientes mei labarunt, indagandi. Perpensis tamen & ad genuinos suos fontes rite revocatis omnibus ac singulis, in his toria morbi occurribus circumstantiis, adserere nullus dubito, affectum spasmatico convulsiva indolis,

Iis, vel, si mavis, *epilepsia consensualis* speciem esse, i<sup>u</sup> quā omnes ac singuli liberorum utriusque sexus tentati fuere. Neque quicquam sententiæ meæ derogare potest, quod illorum alii his, alii aliis obnoxii symptomatibus, alii gravius, alii levius iisdem adfeti fuerint: Quia, præterquam quod ex iisdem occasionalibus caulis sua morbus primordia hauserit, sola quoque differentia, quā intercedere illos videbatur, gradualis tantum fuit.

S. 2.

Dico ac repeto, *spasmodico-convulsive*, sive *epileptica* indolis esse, quē declarandum in me suscepī, affetum. Id enim non pauca phænomena, quā cum aliis epilepticis habuere communia, fatis manifeste evincunt. Subito namque & inopinato, aliorum epilepticorum more, lapsi sunt, idque non sine sensu tam internorum quam externorum quadam quāsi obnubilatione, quā, quid paroxysmi tempore gestum fuerit, ipsos impedivit, quo minus recordari potuerint, etiam si interea eorum omnium, quā ante paroxysmum peregerant, probe concisi fuerint. Accedit, filium natu majorem corpore mox in altum salientis ritu sublatum, mox vero in terram iterum prostratum esse, capiti subinde mira agilitate institisse cum stertore horrendo ejulatu per mixto, incredibilis mannum gesticulationes formasse, tantoque corporis robore polluisse, ut a robusto homine puer coērceri vix potuerit, mox aphonus, mox surdus, & quā miranda alia ipsi plane singularia fuerunt observata. Imo, ut de *spasmodico-epileptico* morbi genio tanto minus dubitandi locus relinquetur, id adhuc in filio natu minore animadvertere licebat, quod

quod aliorum epilepticorum more pollices in pugnum comprimeret, dentibus strideret, cum mirabilis manuum gesticulationibus pedumq; vehementibus calcitrationibus, imo variis totius corporis jacketationibus, in eo fratri quoque similis, quod pari, ut ille, corporis robore polleret, ingentibus in super ejulatibus obnoxius, ut in terrorem conjicerentur adstantes, novitate rei insolite vehementer perculsi.

## §. 3.

Erat tamen hæc singularis epilepsiae species, qua Noſtri adficiebantur, ex earum clasfe, quas Practici confensuales vocant, quæ non tam propria sua vehementia, ut in *epilepsia idiopathica* fieri consuevit, excruciant ægros, sed in quibus alterius cujusdam morbi complicatio sive evidens & manifesta, sive subinde occultior subeſt: Quo nomine *epilepsia uterina* Practicis nota est, peculiaribus suis notis atque criteriis ab aliis speciebus haud difficulter discernenda. Atque hujus quoque indolis esse eam, quam historia repræsentat, *epilepsie confensuale* speciem, & si divinationi locus, ex *vermibus*, qui in ventriculo & intestinis delitare, specialiter natam, id non modo perversa diæta ratio, cui præterito autumno indulserunt liberi ad unum omnes, sed & phænomena morbum comitantia plene ac plane evincunt, sicuti ex speciali eorumdem recensione postea pluribus patebit. Addo, non parum augurio meo favere circumstantiam *etatis*, quæ in omnibus ac singulis vermis gignendis a-lendisque satis congrua est & adæquata.

## §. 4.

Quæ omnia etsi non parum sententiæ meæ patriniari, firmiter sim persuasus: Facile tamen conceferim,

serim, ad pleniores veritati rei fidem conciliandam nulla efficacius stringere argumenta, quam quæ ex *parallelismo* observationum practico-clinicarum sunt deprompta. Audiamus itaque hac de re graviter loquentem suaque deinde epicrisi eleganter illustrantem, eximiam huc potissimum quadrantem historiam, quam hisce mirabilibus circumstantiis, nostrorum patientium phænomenis non multum dissimilibus, stipatam in venusta *Nosologie sue animatae synopsi* exhibet *Paulinus* de nobili quodam dynasta, qui *febricula* primum pessundatus, multas postea noctes sine somno, cum ingentibus *capitis tormentibus* transfigit, rotatus interdū vertigine, mox *phreneticus*, mox in rabiē aëtus saltavit, ut nullibi quiefcere potuerit; Mox *risit*, mox *flevit*, jam *tacuit*, jam cum *stridore dentium* invasit alios. Mox *horrore & rigore* percussus omnia membra summa violentia sursum deorsū jactitavit, mox truncī instar jacut immobilis. Modo brachia ad pedes, & pedes iterum ad superiora vi trahi videbantur; jam dicebat, peccatori aliiquid incumbere, a quo metueret suffocationem: Mox *fixis oculis* plane immobilis quasi meditabundus omnia intuebatur, & loquebatur *insolita*. Aliquando oculi, aures, dentesq; summe dolebant, mox *convulsiones* associabantur, & surdaster erat; jam lingua tumebat, & deglutitionem impiedebat; Mox conquestus de *constrictione colli*, in quo tumor erupit magnus, brevi evanescens. *Cor palpitabat* perpetuo, manifestus *dolor ac tumor ventris, appetitus nullus, vomitus & nausea*. Ante mortem tamen ingens fames & variarum rerum appetentia. Hodie *fluxus alvi*, cras ejus *obstructio*, in lumbis quoque *tormina, urina impedita &c.* Paulo ante obitum per os & alium locum *mul.*

*multos terribiles ejicit vermes, qui etiam ex cadavere ejus  
prorepserit &c.*

## §. 5.

Quis vero hic perfectum non perspiciat *parallelismum?* Quis est, qui, omnem hic *tragædiam* lusisse *vermes*, non primo statim intuitu animadvertat? Ut merito crassam ignorantiam & superstitionem sacrificulorum ejus temporis rideat modo laudatus *Paulinus*, qui non, ut illi, ex officulis *Crispini* irreverenter & irreligiose habitis, & provocata hinc ira & vindicta divina, sed potius ex vermis, ceu genuino suo fonte atque scaturigine omnem hanc malorum syndromen derivavit. Id quod ne lectori suo ἀπίστον vel παρεδόξον videretur, singula phænomena ad amusim rationis & experientiæ, prout sagacem naturæ arcanorum ruspatorem decebat, exegit, & quam belle ex *pathologia verminosæ* fundamentis explicari omnia possent, luculenter ostendit, sicuti Ephem. N. C. Dec. II. Anno VII. pag. III. & seq. Appendix prolixè legere licet.

## §. 6.

Specialem, quem nunc tracto, casum quod attinet, integrum mihi fuerit, periculum facere, annon ex eodem hoc fundamento omnia ac singula patientium meorum symptomata derivare queam? Filia *tredecim annorum*, in qua temperamenti sanguinei prædominium satis conspicuum, primo omnium loco prodeat; Conqueritur hæc de ingenti, quo *ad mingendum irritetur*, *stimulo*, cum *dysuria* conjuncto, citra alvinam quidem obstructionem, non tamen sine per molesto tenesmo. Quid vero, inquires, commercii est lumbricis cum vañis & viis urinariis, ut in hac

nostra inevitabilis ad mingendum stimulus cum ischuria oriri potuerit? Respondeo: Multum sane, sive *a posteriori* sive *a priori* rem expendas. Illo si examinaveris modo symptomata, non deficient exempla eorum, qui idem ab eadem caussa passi fuere. Observatione LXXVII. Dec. II. Anno I. p. 483. occurrit miles praefidarius, qui septem integris diebus & amplius pertinaci divexus ischuria, excrevit tandem vermem crassitie calami scriptorii triumque digitorum longitudine, quo ejecto, miraculo citius pristinam pro lubitu vesicam exonerandi facultatem recuperavit. Confer. Joh. Rhodii Cent. III. Obs. 36. Quo eodem loco multas consimiles recenset historias. Nolim tamen excludere fatus, quos praecedens vietus perversa ratio genuit; Siquidem praeterito autumno multos immatuos fructus horraeos copiose ingurgitavit puella, aliisque insalubribus esculentis una cum fratribus usq; fuit, unde mucus viscidus ac tenax, indeque fatus generari potuere, quibus deinde organa urinaria spasmodice contracta fuere, unde mingendi difficultas deinde nata est.

Cæteroquin nihil fuit, de quo justam querulandi caussam haberet, nisi quod subinde *alternantis caloris ac frigoris sensum cum capitisi dolore*, attamen *sine siti* experiretur. Non enim insolitus est, verminantes ejusmodi alternationibus, quæ motus febriles haud obscure produnt, expositos esse, quæ haud raro in febris ita dictam *verminosam* transeunt. Dolores capitisi & naufragii, quæ non raro in *vomitum* erumpit, ordinaria infantum lumbricis adfectorum symptomata sunt; Cumque alvus talium patientium ratione officii sui ad-

admodum inconstanter sese gerat, inque aliis liquida, in aliis vero sicca & obstructa sit, quorum illud puellæ, hoc vero pueris obtigit, nihil quoque hoc intuitu observatum, quod non cum aliis verminosis commune haberent.

## §. 8.

Quod denique filia præ reliquis ingentes *spinæ dorsi dolores*, inque imo ventre ac pede dextro fuerit perpeſſa, quod ejusdem *pectus insolite motitatum cum palpitatione cordis conspectum atq;*, dum ad se rediisse visa est, modo *aphona*, modo *surdæ* adparuerit, ita tamen, ut subinde clamando pauca verba protulerit, ad easdem quidem origines referendum est, ita tamen, ut molimina naturæ, ad excretionem menstrualem tendentia minime sint excludenda, cum anno decimo quarto, ordinario & maxime consueto excretionis menstruæ tempori puella proxima fuerit. Prius enim, quam in nonnullis emicet flos virgineus, æque miranda ac ferme prodigiosa in his, quam in verminantibus phænomena sese conspicienda præbent. Atque hæc mea declarandi ratio tanto minus solido fundamento destituta esse videtur, quo certius omnia statim prædicta symptomata cessarunt, erupzione menstruorum facta: Ut ab eo tempore plane & integrum restituta esse videretur.

## §. 9.

Ad filium natu minorem nunc conversus, pleraque symptomata initio quidem leviora, successu vero temporis longe graviora experior, ac præter *pertinacem alvi obstructionem*, cum *torminibus ventris doloreque capitis periodico conjunctam*, de ingenti corporis lasitudine conquerentem, quodque saepius horrore corripiatur,

fuc-

succedentibus molestis *oscitationibus*, eundem deprehendo. Fuerunt autem hæc, ægroto pariter ac patre sic referentibus, morbi initia, aliorum symptomatum longe vehementiorum mox secuturorum prodromi. *Obstructiones alvinas* easque admodum pertinaces abusus fructuum horræorum in primis immaturorum habuit pedissequas, in quibus quippe principium acido-austerum delitefecit, quod fibras intestinales constringendo obstructionem alvi peperit. Complicati illi fuere, ut fere semper, dolores capitales ac *tormina ventris*, quæ flatuum incarcerationem indeque productam tunicaceæ intestinorum substantiæ dilatationem agnovere causam. *Lassitudo corporis* cum intercursante horrore, quo subinde corruptus fuit patiens, una cum permolestis *oscitationibus* febrim subitus latenter haud obscurè prodiiderunt. Mingeni conatum cum dysuria habuit cum forore communem ac proinde ex eodem fonte derivandum. Quod vero præ reliquis singulare in eo observatum, in eo consistit, quod præter prædicta symptomata, quæ indies in valuere & graviora facta, exquisitos testiculi dextri imo ipsius quoque membra virilis dolores fuerit percessus. Quæ uti de *motuum pectorum* veherentia sat evidens perhibent testimonium: Ita, ut tanto minus dubii relinquatur, magis adhuc inde confirmamur, quod epilepticorum aliorum ritu, in terram fuerit prostratus, pollicesque in pugnum contraxerit, stridore insuper dentium mirisque manum gesticationibus & pedum calcitrationibus cum mira corporis jaætatione exagitatus: Quæ omnia, ut & immensum corporis robur, quo polebat, motuum tonicorum violentiam ad extremum usque gradum auctam demonstrant.

§. 10.

Quod si autem admiratione digna sunt, quæ in  
filio natu minore observavi, phænomena: Longe certe  
majorem merentur, quæ natu major de se conspicien-  
da præbuit. Is enim quandoque saliebat ac deinde  
in terram relabebatur, quandoque vero corpori mi-  
ra agilitate insistebat, cum stertore horrendo ejulatu  
permixto, mirasque manuum gesticulationes forma-  
bat; Ingenti insuper corporis robore pollebat, & mo-  
do auditu, modo loquela videbatur privatus; Quan-  
doque stans vel sedens toto corpore ita rigebat, ut sta-  
tuæ mercuriali similis videretur, tandemque resupi-  
natus & cum capite ad calcis flexus, brachia pendu-  
la habebat &c. Quæ phænomena cuncta non aliun-  
de, quam ex vehementissima motuum tonicorum  
modo intensione modo remissione hic & illuc facta  
suis trahunt natales, vermbus sua subtrus dramata  
ludentibus. Quæ tamen in aliis seorsim, in nostro con-  
junctim sunt observata. *Salivit* iterumque ad terram  
relapsus est, more saltantium vel potius tripudianti-  
um; Id quod fecit etiam puella lunatica apud Paulli-  
num Obs. VIII. Dec. II. A. V. p. 10. App. Eph. N. C.  
quæ quovis novilunio integrum fere diem noctemq;  
indesinenter saltavit; Chorea autem finita, convul-  
siones epilepticæ supervenire, quibus cessantibus sua-  
vis infuscatus est somnus & puella sibi redditæ; Datis  
tandem anthelminticis multi prodiere vermes, a quo  
tempore pancratice valuit. *Capiti insistebat* nosfer *mira*  
*agilitate*, idq; *cum stertore horrendo ejulatu permixto*, *histrio-*  
*nūm & præstigiatorum mores in eo imitatus*, longe  
tamen expeditius; *Quia*, quod hi longo demum usū  
addidicere, *hic* multo majori agilitate sponte, nulla

C

id

id arte edoctus, expediebat. Nec miror, *sterorem*  
 cum horrendo ejulatu simul observatum; Longe enim  
 mirabilius est, quod de paciente quodam, qui jam sub  
 cura ipsius versatur, mihi enarravit D. *Praes.* Iste e-  
 nem patiens in paroxysmo constitutus *canis infar la-*  
*rat:* Nec tamen aliam credit subesse caussam, quam  
*vermes*, quales jam aliquoties tam per vomitum quam  
 per secessum fuere reiecti, nempe vivi, articuli digiti  
 longitudine vix majores, recurvo utrinque rostro in  
 ore instructi, ut, quas invadunt, partes vellicare que-  
 ant, unde acutissimus sensus, & tremor totius corporis  
 aliaque miranda phænomena. Quod denique *stans*  
*vel sedens* *toto corpore rigeret, exorrectis brachiis, torvo vultu,*  
*eoque in statu per quadrantem horæ maneret &c.*  
 clarissime demonstrat, *cataleptico* non absimilem fuisse  
 nostrum, ex fortissima scilicet spasmودica meningum,  
 cerebrum, cerebellum medullamque spinalem cing-  
 gentium contracitione, nato affectu: Unde obrige-  
 scere nervi partesque, ad quas excurrunt, debueré.  
 Et quod tandem *resupinatus capiteque ad calces flexus* fu-  
 erit conspectus, tanto minus miramur, quo certius  
 idem in illa *spasmi universalis* specie, quem *opisthotonum*  
 dicimus, animadvertere licet. *Quod vero brachia*  
*habuerit pendula,* denotat contrariam toni remissio-  
 nem in nervis ac musculis, brachiorum motui inser-  
 vientibus, reliquis interea tetano occupatis.

## §. II.

Reliqua quod spectat phænomena, v.g. quod altero fratrū affecto, alter statim quoque subito lapsu  
 correptus fuerit, itemque, quod sub oratione Domini-  
 nica, quoties orantem vel videbant vel audiebant vel  
 ipsimet orabant, conciderint, parem quidem, ut præ-  
 ceden-

cedentia omnia, admirationem merentur; Verum, brevitiati studens, specialius illa non excutio, nullus interim dubitans, quin ex eadem aetiologya deduci haud difficulter possint. Non tamen negaverim, suam quoque symbolam contulisse metum; Id enim, historia morbi teste, non liberi tantum sed & parens ingenue confitentur, quod ad terrorem omnes sint proclives, ipseque recordor, mihi relatum esse, frastrum alterum non multo ante ingenti eoque inopinato terrore fuisse perculsum, eodem fere modo ac de sorore in morbi historia innui. Quanta vero affectuum terrificorum sit potestas in pervertendis motibus vitalibus tam fluidarum quam solidarum C. H. partium, Practicos artis latere nequit. Nec ignota sunt exempla eorum, qui, cum alios in epilepsiam lapsos conspexerint, ipsimet eodem affectu fuerunt correpti. *Vid. Schenckium Observ. CCXVI.*

## §. 12.

Quae omnia cum luce sua radiare existimem, non possum, quin vel simplicitatem vel ignorantiam vel superstitionem interpreter, si quis alias, quam naturales, a quibus mirabilia hæc phænomena profluxerunt, causas comminiscatur vel plane ad vim fascini vel quamcunque aliam causam supernaturalem configuat. Sunt hæc commenta hominum, qui vel profunda rerum omnium naturalium nexuumque causalium, quos inter se mutuo fovent, ignorantia laborant, vel quos cœca supersticio fascinavit, vel ob connatam animi levitatem ac simplicitatem a natusioribus imponi fibi patiuntur. Quamdiu enim causæ naturales investigari ac inveniri possunt, iniquum est, alias a sensu remotores ac proinde demonstratu difficiliores accufare velle.

## C 2

## §. 13.

Perpendamus tantum, quas *historia morbi* abunde nobis subministrat, circumstantias, & omnia plena statim luce radiabunt. Patet inde, liberos ad unum omnes proxime elapso autumno ingentem commississe abusum in usu pomorum, pirorum, prunorum aliorumque horraeorum fructuum maximam partem immaturorum: Unde loco laudabilis chyli pastam potius crudam, viscidam acidamque austerae contraxerunt, quæ, uti flatum generationi causam materiale; Ita quoque lumbricorum exclusioni commodum nidum præbuit: Ad quorum proinde excusione tanta motuum, ad vehementiam convulsivo-epilepticam usque intensorum, violentia consurrit natura. Quod vero tam mirabili varietate, *salutatione, intorsione, vociferatione, prostratione, situ erecto rigidoque, & mimicis quasi actibus & gesticulationibus* aliisque verbis non satis describendis modis conspiciebant se præbuerint, id indoli *epilepsie confusionalis*, quam nos tractamus, admodum est conveniens: Unde etiam non pauci Practicorum commoti fuere, ut varia eidem nomina, *epilepsie nempe rotatoria, ambulatoria, cursatoria, saltatoria &c.* cuius postremæ singularem casum Ephem. N.C. Dec. II. Ann. III. pag. 321, referunt, impertiti fuerint.

Prognosticon, quo Patrem erigere sum conatus, tale tuli, quale morbi genio examus sim responderet; Prædixeram nempe, morbum quidem diuturnum, sed periculi omnis expertem fore: Quod meum valetinum ipse quoque eventus comprobavit. Convulsiones scilicet, quæ causis chronicis sunt oppositæ,

nihil utplurimum portendunt periculi, nisi quod frequentior earundem recursus facile in habitum degeneret, ut vel data causa pure morali vel quavis alia levisima, etiam simpliciter imaginaria occasione ægrotantem denuo invadat: Sicuti duo fratres in *historia morbi* occurrentes exemplis suis satis probant, qui, cum alter alterum prosterni videret, seque mutuo erigere conarentur, statim quoque prostrati fuere, &c, nisi tandem obstinata quadam animi contentione affectui, in primis sub recitatione orationis dominicæ fuissent reluctati, diutius forte spectaculi horrendi conspectu Parentis animum excruciascent.

§. 15.

Sicuti vero *prognosin*, ita quoque *curationem* indoli morbi accommodatam esse oportebat. Cumque, prout patientes ipse sponte confitebantur, fructus immaturos abundantius, quam par erat, ingurgitassent, immo nec antea adeo exactam diætam observassent, in proclivi erat inde colligere, ventriculum una cum intestinis multis crudis, viscidis ac mucidis corruptis humoribus, in quibus ceu nido suo atque commodo domicilio vermes commorari amant, repletum esse debere; Quam ob causam etiam *inappetentia*, *nausea*, *torminibus ventris* ac pertinaci *abv* *obf* *ructione* cum *doloribus capitis dysuria*, *tenesmo convulsionibus* aliisque insolitis pathematibus, non obscuram de vermium præsentia suspicionem mihi præbentibus, laborarunt. Itaque, ad mucum hunc viscidum atque tenacem resolvendum nidumque vermium destruendum, præter victum tenuem, hordeaceum & avenaceum, digestiva salina, ex tartaro vitriolato, sal. absinth. cryst. tart. aliisque talibus parata commendavi, nec tamen

C 3

folis

folis alterantibus acquiescendum esse putavi, sed,  
 cum gravi nausea laborare infantes deprehenderem,  
 oxymel squilliticum in aqua fumariae solutum ebi-  
 bendum ipsis exhibui, tam felici cum successu, ut  
 non modo ingens faburræ talis mucidæ quantitas per  
 vomitum rejiceretur, sed & alvus, pertinaciter alias  
 clausa, aliquoties moveretur; Unde optime sese ha-  
 buisse patientes meos, reipsa expertus sum. Cui pro-  
 inde methodo ulterius insistens, ut corpora penitus  
 perpurgarem, atque a peregrinis hospitibus libera-  
 rem, nodulum laxativum ex rad. pimp. alb. genti-  
 an. & hell. nigr. herb. fumar. rut. marrub. albi & ta-  
 naceti nec non fl. lavend. hyperic. stoechad. arab. &  
 perficor. foliis fenn. s. st. agarico itidem levissimo &  
 rhabarbaro addito sale tartar. & absinthii parandum  
 & aliquamdiu continuandum præscripsi, a cuius usu,  
 cum quotidie bis terve corpora purgarentur, in dies  
 non solum coloratiora ac vegetiora reddebatur, sed  
 & appetitu redeunte indies melius habere incipie-  
 bant. Mercurium dulcem, quem Practici pro anti-  
 doto vermium habent, iisdem merito laudibus con-  
 decorandum esse existimo, nec amaris & *specificis antithelninticis* sua debita encomia deneganda.

## §. 16.

Puellæ autem, ob complicatum mensum, qui  
 jamjam erupturi erant, negotium, singularem plane  
 rationem habendam esse duxi. Quare præter frictio-  
 nes in pedibus diligenter instituendas, eidem quo-  
 que cubitum ituræ pediluvia ex herbis convenienti-  
 bus parata ordinavi, venamque itidem in pede ape-  
 riri jussi, ingvinibus & umbilicali regioni emplastro  
 de cumino applicato spinaque dorsi linimento, ex a-  
 xun-

xungia castor. ol. terebinth. lumbr. terr. rut. major. & Junip. parato, diligenter inuncto, non neglegitis tamen etiam internis, provocationi mensum inferuentibus: Quorum omnium usui gnaviter infistens, felicem eorundem efflorescentiam ex voto sum asecutus. A quo tempore melius indies habere coepit, ut hodieque pancratice vivat, valeatque.

## §. 17.


Circa regimen motuum, quos ad violentiam convulsivo-epilepticam auctos esse animadvertebam, provide ut me gererem, facile intelligebam. Evidet, ad utilem finem atque scopum, excusionem nempe faburræ mucidæ, flatuum, vermium ac speciatim menstruorum in pueris, directos illos esse, firmum ratumque habebam; Interea tamen ingenti anomalia illos laborare, simul facile perspiciebam. Quare pulveres ex antimon. diaph. matr. perl. nitro & cinnab. antimon. paratos interdum solos, interdum vero cum aq. fl. borrag. pœon. ceraf. nigr. aliisque, addito syrupo fl. pœoniæ permixtos inque potionum extemporanearum formam convertos exhibebam, ut hac ratione nimiam illorum ferociam cicurarem, moderarer, tandemque in ordinem penitus redigerem.

## §. 18.

In paroxysmo constitutis patientibus nares balsamo rutæ perficari jussi, sub lingua vero, ut elæofacchari rutæ quicquam detineret, auctor suasorque fui. Dentibus frustulum ligni interpositum est, ne lingua commorderetur. Frequentibus lapsibus, quos subinde etiam *deliquia* vocavi (quoniam vera animi deliquia non fuisse, ex circumstantiis aestimare facile

facile licuerit) ele<sup>t</sup>uarium ex rad. pœon. mar. & væ-  
lerian. fylvestr. sem. pœon. & Sefel. Masfil. fol. rut.  
& vifc. quercin. cum conserva anthos. & fyr. pœon.  
incorporatis opposui, patrem simul hortatus, ut, cum  
jam pleraque symptomata remiserint, imo non pau-  
ca plane evanuerint, ulterius liberorum suorum sa-  
lutem commendatam fibi haberet, utque exactam  
in posterum diætam cum convenienti regimine serva-  
rent, in primis vero animum contra terrificos affe-  
ctus heroice obfirmarent, omnem, quam posset, o-  
peram impenderet. Sicque sub gratiæ atque bene-  
dictionis divinæ umbone factum est, ut omnes ac  
singuli liberorum recte tandem convaluerint, & in  
hunc usque diem perfecta sanitate fruantur. Pro  
quo immenso beneficio D E O O. M. sit laus,  
honor & gloria iu<sup>n</sup> seculorum  
secula!

F I N I S.








Frankfurt a.O., 8. Jl. 1725-27





B.I.G.

Farbkarte #13



TATIO SOLEMNIS MEDICA  
fistens 1727, 1a 8  
**PSIAE CONSEN  
S SINGULAREM  
SPECIEM,**  
Quam  
æ Facultatis Medica Jusu  
Sub PRAESIDIO  
**REAE OTTOMAR  
GOELICKE,**  
Publ. Ord. h. t. Facultatis suæ Decani  
li Lebusiensis Physici Ordinarii,  
Promotoris sui singulariter colendi,  
RADU DOCTORATUS  
bus, Juribus atque Immunitatibus legitimi  
consequendis,  
i An. M DCC XXVII. horis ante & pomeridianas  
publicæ Disquisitioni exponet  
AUCTOR  
**FRIDER. PETERSON**  
Belgardia - Pomeranus,  
Medicinæ Praëticus.  
ANCOFURTI cis VIADRUM,  
CHRISTOPHORI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typogr.